

05

A

2241





IN NOMINE JESU.

DISPUTATIO

De

PURGATORIO

cujus theses

SUB PRAESIDIO

Viri Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi,


DN. PAULI ROBERI, In inelytâ
Wittebergâ SS. Theol. Doctoris, Profefs. & Superin-
tendentis Generalis, Consistoriiq; Ecclesiastici Assessoris
dignissimi, &c. Præceptoris & Promotoris sui hono-
randissimi,

placide ventilationi subijcit ad d. Jun. 1633.

M. JOHANNES GEORGIUS Seldt /
Linthoviensis Pastor.

Syllogismus generalis summam thesum proponens:

Quodcunq; dogma 1. ratione nominis est σιδηρόξυλον, 2. ratione ori-
ginis Ethnicismum, Judaismum & Turcismum redolet, 3. ratione
fundamenti falsis nititur hypothesibus, 4. inexplicabili perpetuarum
contradictionum & discrepantiarum labyrintho involutum est,
5. cum propriis hypothesibus Pontificiorum pugnat, 6. planè est
ἀγραφον, 7. imò & ἀντίγραφον, 8. analogiæ fidei contrarium,
9. primitivæ Ecclesiæ & Patribus purioribus ignotum: illud pro ar-
ticulo fidei habendum non est. Dogma de Purgatorio tale est. Ergò,



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS HAKEN, Anno 1633.



Ad vos Ecclesiae lumina,

Academiae columnina,

Viros Admodum Reverendos, Clarissimos & Excellentissimos, SS.

Theologiae Doctores & Professores celeberrimos,

Dn. D. JACOBUM MARTINI, Praepositum

templi arcis VVitteb. Assessorem Consistorii Eccle-
siastici, & Facultatis Theologicae Senioremem venerandum,

Dn. D. PAULUM ROBERUM, Superinten-

dentem Generalem, Assessorem Consistorii Eccles. Prae-
sidem hujus *συνήθως* dignissimum,

Dn. D. WILHELMUM LYSERUM, maximi

Theologi filium Facult. Theol. Decanum,

Dn. D. JOHANNEM HULSEMANNUM,

Stipendiar. Electoral. Inspectorem,



Dedicatio hujus Disputationis jure defertur

ceu Praeceptores, jure gratitudinis,

ceu Patronos, jure necessitatis,

ceu Promotores, jure honoris,

50 A 224 AD

Reverendum item, Clarissimum & Doctissimum Virum,

Dn. M. MICHAELEM BLUMIUM, Pastorem &

Superintendentem Belzigensem dignissimum,

Nec non

Amplissimum & Spectatissimum,

DN. MARTINUM ARNOLDI, Quaestorem

Belzigensem prudentissimum & c. Fautores & amicos

honorandissimos,

à

M. Johanne Georgio Seldt.



I.

Concilium Tridentinum, cujus autoritas à Pontificiis maxima jactatur, a. Purgatorium pro fidei dogmate necessario venditatur, b. Pugnant & alii doctores Pontificii ac Jesuitæ in scriptis polemicis & didacticis pro eodem, tanquam pro aris & focis, c. Bellarminus dogma de Purgatorio creditu tam necessarium pronunciat, ut qui illud negat, sempiterno gehennæ incendio cruciandum proclamet, d.

Status controversie.

a. Bellarm, l. 3. de justif. c. 3, column. 950. l. 4. de amiss. grat. c. 18. col. 290. l. 1. de justif. c. 12. col. 846. l. 1. de justif. c. 12. col. 846. l. 5. de grat. & lib. arbit. c. 13. col. 705. l. 4. de amiss. grat. c. 18. col. 291.

b. Sess. 25. decret. de purgat. & sess. 6. can. 30. & sess. 22. cap. 2. can. 3.

c. Becan. in manual. Coster in Enchirid. cap. de purgat. Eccius in Enchir. adv. Luth. Gabriel Biel. l. 4. sent. dist. 45. Sonnius l. 2. tract. 4. c. 2. & 3.

d. l. 1. de purg. c. 15.

II. Illud autem ita describunt, a. quòd sit locus inferni superioris, in quo animæ eorum, qui non plenum purgati, cum pietate tamen ex hac vitâ discesserint, antequam iis aditus ad regna coelorum patere possit, captivi detineantur, donec exsolutis poenis ab omni expiatione purgentur.

Definitio purgatorij Pontificij.

a. Sonnius, Costerus, Biel. Bellarminus d. l. Comp. Theol. l. 7. c. 2.

III. Ubi statim quoad nomen desideramus, quod pleriq; quidem Pontificiorum vocent ignem Purgatorium, quia

Nomen.



quia statuunt instrumentum purgandi post hanc vitam esse ignem seu flammam, *a*. Unde & Germanicè exprimitur: *Das Segfeuer*: in probatione tamen ejusdem ex sacris locum ex *Psal. 65. v. 11.* qui & aquæ mentionem facit, adducunt: *b*. quidam in eo describendo fluminum, *c*. aquarum, *d*. glaciei, *e*. immersionis in aquam, *f*. balnearum, *g*. ventorum, pluviarum, stillicidii, aliorum *h*. mentionem faciunt, atque sic ex consequenti ignem aqueum persuadere nobis conantur. Alii *i*. pratum florentissimum, lucidissimum, odoratissimum addunt: mirum, quod flammæ purgatorii illud non exurant!

a. Bellarm. l. 2. de purg. c. 11. Comp. Theol. l. 7. c. 2.

b. Fischerus episc. Roff. in art. cont. Luth.

c. Petr. Damian. in Epist. de mirac. sui temp.

d. Bonav. l. 4. sent. dist. 20.

e. Aurea legenda.

f. Eadem in vita Contr. & Udalr.

g. Gregor. l. 4. Dial. c. 40. & 55.

h. Specul. exempl. dist. 3. exempl. 3.

i. Bellarm. l. 2. de purg. c. 7. ubi adducit Bedam. l. 5. sist. cap. 17.

Dionys. Carthus. in dialog. de jud. part. Lud. Blos. in monil. spir. c. 13.

Syllogismus
1. specialis.

IV. Inde ita argumentamur: Quæ purgatio est aquæ, fluminis, glaciei, ventorum, pluviarum, stillicidii, illi nomen germanicum *Segfeuer* & Latinum (ignis purgatorii) non est adæquatum & satis conveniens. Purgatio quam hoc loco defendunt Pontificii talis est. Ergo. Imò ignis aqueus est *σιδηρόξυλον*. Purgatorium est ignis aqueus. Ergo.

Origo.

V. Origo hujus purgatorii in scriptis Prophetarum & Apostolorum monstrari nequit, sed in libris poetarum & philosophorum gentilium, *a*. Judæorum *b*. item & Turcarum. *c*. Unde & ipsi Pontificii ad hæc testimonia

pro-

provocant, *d.* pro suis partibus gentilium, Judæorum & Mahumeticum consensum adducunt, eodemque nos refutare conantur, quod quidem Christianos non decet. *e.*

a. Algazel. *l.* 2. *phil. tr.* 5. c. 5. Homer. *Odyss.* 11. Plato in *Phædon.* & *Gorg.* *Eernh.* de *bust.* in *rosar. serm.* 2. part. 1. *Macrobr.* in *somn. Scip.* *l.* 2. *Cic.* in *somn. Scip.* *Virgil.* *l.* 6. *Æneid.* *Claud.* *l.* 2. in *Ruff.*

b. *Talmud.* in *l. Rosch. haschana c.* 1.

c. *Alcoran.* *azoar.* 10.

d. *Bellarmin.* *l.* 1. de *Purgat.* *c.* 11. *rat.* 3. *Salmeron.* *tom.* 14. *disp.* 25. *p.* 226. & 225.

e. *Tertull.* de *resurr. carn.* *c.* 3. *Ambros.* *l.* 2. de *vocat. gent.* *cap.* 3. *Biel.* 4. *sent. dist.* 1. *q.* 1. *Hieron.* in *c.* 23. *Matth.*

VI. Inde ita argumentamur: Quodcumque dogma ratione originis Ethnicismum, Iudaismum, & Turcismum redolet, illud pro articulo fidei haberi nequit. Dogma de Purgatorio ratione originis Ethnicismum, Iudaismum & Turcismum redolet. Ergo. Syllog 2.

VII. Hypothesium porro, quibus Purgatorium nittur plurimæ sunt falsæ, ut quod quædam peccata suâ naturâ sint venialia, *a.* quod pro peccatis illis homini sit satisfaciendum, si non in hac vitâ, tamen post hanc vitam: *b.* quod remissâ culpâ adhuc maneat debitum luendæ poenæ: quod applicatio meriti Christi ad tollendam poenam temporalem fiat per opera satisfactoria propria: *d.* quod alia ratione in baptismo, quàm in seriâ & verâ poenitentia peccata remittantur: *e.* quod homo sui ipsius sit redemptor & salvator, *f.* quod acceptatio poenæ à Deo inflictæ, cum à caritate procedit, sit virtualis quædam poenitentia & peccati remissoria: *g.* quod spiritus illi, qui se in Purgatorio esse renunciant, & opem à vivis implorant, sint animæ defunctorum, & ipsorum relationi fides adhibenda: *h.* Fundamēta & hypothesib. quibus purgatorium nittur.

quod animæ Purgatorii nec sint in viâ nec in termino:
quod neque ad militantem Ecclesiam in terris, neque tri-
umphantem in coelis pertineant, i. quod animæ indul-
gentiis opus habeant & suffragiis, k. &c.

a. *Thomas 1. 2. q. 77. art. 8. Bellarm. l. 1. de amiff. grat. & stat. peccat. c. 3.*

b. *Biel. 4. sent. dist. 16. q. 5. art. 2.*

c. *Becan. in manual. de purg. Bellar. l. 4. de pœnit. c. 1.*

d. *Biel. d. l. & dist. 16. art. 4. q. 6. Vide lib. de caus. recus. Con-
cil. Trid. ubi plurimum verba adducuntur.*

e. *Ruard. Tapp. tom. 1. Ambr. Episc. Cathar. Comps. Bellarm. c. 18. de baptism.*

f. *Colloc. Ratisb. Anno 1546.*

g. *Biel. 4. sent. dist. 16. art. 2. q. 5.*

h. *Becan. manual. in concil. 4. Bellarm. de purgat. rat. 4. ubi ad-
dunt Gregor. l. 4. Dial. c. 40. & 51. Gregor. Turon. l. de glor.
confess. c. 5. Petr. Damian. in Epist. ad Desid. Bedam. l. 3. hist.
Angl. c. 19. Bernh. in vit. Dial. & autor. lib. de vita Anshelm.*

i. *Bellar. l. 1. de purg. c. 14. Becan. concil. 3. Bernh. de bustis in
rosar. serm. 2. part. 1.*

k. *Polydor. Virgil. l. 8. de rer. invent.*

Syllog. 3.

¶ X. Etsi verò has omnes & singulas falsitates copio-
sè hoc loco refutare chartæ angustia & ratio instituti non
permittit, sufficit tamen easdem monstrasse, & exinde tale
argumentum formasse; Quodcunq; dogma ra-ione fun-
damenti falsis nititur hypothesebus, illud pro articulo fi-
dei habendum non est. Dogma de Purgatorio ratione
fundamenti falsis nititur hypothesebus. Ergo.

Contradio-
ctiones &
discrepan-
tiae Pontif.
in contro-
versis de
purgator.

¶ IX. Quid quod Cadmæi fratres, loquor de Scholasti-
cis doctoribus & Jesuitis, acerrima inter se prælia miscent?
Quidam docent in Vet. Test. non fuisse Purgatorium, qui-
dam loca ex Vet. Testam. adducunt. Quidam fatentur

EX

ex scripturis non posse probari Purgatorium, *a.* quidam ex sacris stabiliri posse gloriantur. *b.* Quidam adducunt *Zach. 9.* alii *Psal. 67.* quæ duo dicta in probando Purgatorio simul stare non possunt. Quidam primitivæ Ecclesiæ doctoribus ignotum fuisse fatentur; *c.* Quidam omnes veteres Græcos Patres illud agnovisse & in scriptis suis luculentissimè docuisse asserunt. *d.* Contradicunt igitur sibi in probandi principio.

a. *Roffensis, Petrus à Soto, Martinus Peresius.*

b. *Concil. Trid. sess. 25. Becan. in manual. Bellar. l. citat. de purg.*

c. *Roffensis.*

d. *Salmeron. in Com. 1. Cor. 15. disp. 25. in fin.*

X. Sunt qui statuunt, omnes homines post hanc vitam purgandos, uno Christo excepto, *a.* sunt, qui negant. *b.* Contradicunt igitur sibi in objecto, seu personis in Purgatorium relegendis.

a. *Fr. Middens: in elucid. verit. quorsum adducit Bellar. Origen. hom. 14. in Luc. & in Ps. 36. Ambros. in Ps. 36. & serm. 20. in Ps. 118. Hilar. in Ps. 118. Lact. l. 7. div. instit. c. 21. Hieron. c. 7. Amos Rupert. l. 3. Genes. 32.*

b. *Bellar. l. 2. de purg. c. 1. statim addit sententiam hanc erroneam esse. Bernb. de bust. in rosar. serm. 2. part. 1.*

XI. Sunt, qui putant dæmones assistere & torquere animas: *a.* sunt, qui hoc pro incerto habent: *b.* sunt, qui eas ignis vehementiâ saltem affligi dicant: *c.* sunt, qui ignem flatu omnipotentis excitari & accendi statuunt: *d.* sunt, qui animas ab angelo bono in Purgatorium duci ac educi *e.* asserant. Contradicunt igitur sibi quoad ministrum seu tortorem.

a. *referente Salmerone tom. 14. p. 232. & Thoma aliquot rationibus probante l. 4. sent. dist. 20. art. 5.*

b. *Bellar. l. 2. de purg. c. 13.*

c. *Spe-*

c. *Specul. exempl. dist. 4. exempl. 44. & dist. 6. ex 89.*

d. *Legend. aur. hist. 158.*

e. *Bonav. l. 4. sent. dist. 40. § 29.*

XII. Unus dicit ignem Purgatorii esse propriè dictum & ejusdem speciei cum nostro elementari: a. alter dicit eundem esse cum infernali: b. tertius neminem, qualis sit ignis ille, scire posse fatetur: quartus & balnea concedit, aquam & flumina: d. quintus pertinaciter defendit aquam non esse in Purgatorio: e. sextus recitat pulchram, si Diis placet, historiam, de animabus verubus affixis, ad ignem affatis, & tortoribus adipem destillantem iterum in eas refundentibus. f. Risum teneatis amici!, contradicunt igitur sibi, quoad materiam.

a. *Bellarmin. l. 2. de purg. c. 10.*

b. *Antonin. part. 4. tit. 14. cap. 10. §. 4. Bernb. de bast. in rosar. part. 3.*

c. *Albert. 4. sent. dist. 20.*

d. *uti thesi 3. allegavimus.*

e. *Thomas Morus cont. Luth.*

f. *Specul. exempl. dist. 3. ex. 3.*

XIII. Disputant quidam, animas Purgatorii certas esse de suâ salute: a. quidam negant eas esse certas. b. Neque satisfactum est à Pontificiis illi quæstioni, an animæ in Purgatorio orent pro viventibus, quod unus ait c. alter negat, d. tertius introducit animam saltantem subito in Purgatorio propter Missam. e. Sic de merito animarum in Purgatorio adhuc sub iudice lis est, hoc inclinante in affirmativam, f. illo in negativam g. Contradicunt igitur sibi, quoad statum & actiones in Purgatorio.

a. *Bellarmin. l. 2. de purg. cap. 4. Leo X. in bull. cont. Luth. art. 28. Salmeron. tom. 14. p. 237.*

b. *Dionys. Carthus. Michael. Baius l. 2. de merit. c. 8. Gerson. l. 1. de vit. & Spir. Joh. Ross. art. 32. cont. Luth.*

c. *Bel.*

c. Bellarm. l. 2. de purg. cap. 15. §. quod autem, ubi adducit Gregor. l. 4. Dial. c. 10.

d. Thom. 2. 2. q. 83. art. 11. ad 3.

e. Specul. exempl. dist. 3. ex. 123.

f. Thom. 4. dist. 21. q. 1. art. 3. Antistiodor. in sum. l. 4.

g. Bellarm. l. 1. de purg. c. 3.

XIV. Si quæras de loco, aliqui dicunt Purgatorium esse in loco subterraneo: a. alii intra terræ viscera inferno vicinum esse docent: b. alii iis in locis, ubi peccaverunt, eas purgari colligunt: c. quidam loca animarum non esse corporalia statuunt: d. alii loca poenarum hunc mundum esse affirmant. e. Nominant nonnulli vallem Josaphat: f. sunt qui asserant, infernum esse statum animæ extra corpus, g. alii aërem caliginosum definiunt: h. relegant alii animas in vepres, montes, convalles, puteos, umbras arborum, antrum Patritii, flumina i. &c. Introducunt nonnulli tertium quendam locum præter coelum & Purgatorium pro animabus justis: k. alii quinque receptacula animarum separatarum defendunt l. Contradicunt igitur sibi quoad locum.

a. Becan. de purg. Calv. c. 3. p. 32.

b. Bellarm. l. 2. de purg. c. 6. Bernh. de bust. part. 3. rosar.

c. ex Gregor. l. 4. Dial. c. 40.

d. ex August. l. 12. de Gen. ad lit. c. 33.

e. quos refutat Iren. in fin. l. 5. Comp. Theol. l. 7. c. 2.

f. referente Chryst. de præm. beat. tom. 3. Gregor. 4. Dial. c. 42.

g. Theophyl. in c. 16. Luc. referente.

h. ex Gregor. Nyss. l. de an. & resurr. Chrysoft. hom. de præm. beat.

Aut. op. imp. in Matth. hom. 53. Beda l. 3. hist. Angl. c. 19.

i. Legend. aur. Spec. exempl. Bonav. l. 4. sent. dist. 4. §. 54. Albert. sent. 4. dist. 20. Maiol. in dieb. canic. colloq. 2. p. 61.

k. Bellarm. l. 2. de purg. c. 6. ex. Beda l. 5. hist. c. 13. Dionys. Carth.

B

in

*in Dial. de jud. part. art. 37. Lud. Blos. mon. spir. c. 13. cui con-
tradicit. Concil. Florent. sess. ult.*

*l. Sonnius l. 2. tr. 3. § 4. § 15. Gerson. l. 2. sup. Marc. num. 16. lit.
L. M. Comp. Theol. de fid. art. num. 25. lit. R.*

XV. De tempore Purgatorii, quot capita, tot sen-
tentia. Quidam ante Christi mortem fuisse Purgatori-
um, post mortem autem Christi sublatum esse statuunt: *a*
dicunt alii in extremo iudicio suum habiturum esse fi-
nem: *b*. docent nonnulli, tempus Purgationis non dura-
re ultra 10. annos: *c*. Pontifices Romani in multa anno-
rum millia, & sic ultra finem seculi, indulgentias proten-
dunt, *d*. Quidam hanc rem incertissimam esse fatentur,
nec nisi temerè definiri posse statuunt: *e* alii certum
tempus cuique dimensum esse volunt. *f*. Contradicunt
igitur sibi in definiendo tempore.

a. Salmeron. tom. 14. disp. 25. p. 220. refert.

b. Bellar. l. 1. de purg. c. 12. resp. ad 5.

c. Domin. à Soto l. 4. sent. dist. 19. q. 3. art. 2.

d. Papa Sixtus IV. hort. an. fol. 92. § 137.

*e. Bellarm. l. 2. de purg. c. 9. de certi temporis definitione, ratione
annorum.*

f. Antonin. part. 4. tit. 14. c. 10. §. 6.

XVI. Poenas Purgatorii majores esse omnibus poe-
nis hujus vitæ nonnullorum est dicterium: *a*. alii dubi-
tant & disputant; quomodo poenæ majores esse possint: *b*.
alii poenam damni majorem esse omni poenâ hujus vitæ
negant. *c*. Contradicunt igitur sibi, quoad poenarum gra-
vitatem.

a. Bernh. de bust. part. 3. rosar. Anton. part. 4. tit. 14. c. 10. §. 4.

*Becan. in manual. concl. 1. Disp. de temp. serm. 60. c. nullus in
fine de poenit. dist. 7. Coster. in Ench. c. de purg. prop. 6.*

b. Thomas. 4. sent. dist. 20. q. 1. art. 2.

c. Bonav. in 4. dist. 20. art. 1. q. 2.

17. De

XVII. Sed nondum est finis concertationum. Certant quidam, animas sanctorum defunctorum coelorum orare pro animabus in Purgatorio laborantibus: *a.* negativè alii se opponunt. *b.* Ex inferno redemptionem non dari concedunt, & tamen in Missâ petunt animas de poenis inferni liberari: ut sicco præteream pede, quod exempla adducant factæ, ex inferno liberationis. *c.* Dimicant non pauci, quod Papæ jurisdictio se extendat in Purgatoriû, alii negant, alii distinguunt inter modum absolutionis & suffragii. Vicissim hunc modum suffragii quidam probare conantur, sed ex Scripturis malè detortis: quidam non nisi ex Ecclesiæ Romanæ autoritate & patribus probari debere asserunt. *d.* Similiter de suffragiis particularibus docent alii, prodesse ea nō uni solum, sed multis: alii negant & restringunt ad personas particulares, quæ meruerunt illis juvari. *e.*

a. Bellarm. l. 2. de purg. c. 15. §. quod autem. Emanuel Sa in Aphorism. p. 302.

b. Dominic. à Soto l. 4. sent. dist. 45. Thom. 2. 2. q. 83. art. 11. resp. ad 3.

c. Damasc. in orat. pro mort. Andrad. Payva, Salmeron, tom. 14. disp. 27. p. 236. Ranulph. in l. 6. polych. c. 8. Gregor. l. 1. Dial. c. 12.

d. Bellarm. l. 1. de indulg. c. 14. l. 2. de purg. c. 16. Fornerus de jubil. p. 207. Anton. Archiep. Florent. part. 1. tit. 10. c. 3. Alph. de Castro l. 8. cont. her. p. 255.

e. Caiet. tom. 1. opusc. tr. 16. q. 5. Thom. in 4. sent. dist. 45. q. 2. art. 4. Bellar. l. 2. de purg. c. 18.

XIIX. Argumentamur igitur ita: Quodcunq̄ue dogma perpetuis involutum est contradictionibus, illud Syllog. 4. pro articulo fidei haberi nequit. Dogma de Purgatorio perpetuis involutum est traditionibus. Ergo.

Collatio
cum aliis
capitibus
Pontificie
doctrinae.

XIX. Quod si collationem instituas cum aliis doctrinae Pontificiae capitibus, ab iisdem Purgatorium è diametro & *δὲ ἀπὸ πρὸς* discordat. Definiunt enim remissionem peccatorum totalem peccati deletionem & extinctionem, a. quid ergo abluendum aut mundandum erit, si per infusam gratiae lucem omnes peccati tenebrae sunt dissipatae in justificatis? b.

a. Bellarm. l. 1. de bapt. c. 13. Concil. Trid. sess. 5.

b. Roard. Tapp. in explic. art. 6. Lov. Thom. 4. sent. dist. 15. q. 1. art. 2.

XX. De indulgentiis Papalibus docent, contingere plenariam relaxationem à poenis peccatorum, pro quibus vel in hac vitâ vel in Purgatorio satisfaciendum erat. a. Cur ergo post acceptas & magno ære redemptas indulgentias homines mittuntur in Purgatorium?

a. Bellarm. l. 1. de indulg. c. 7. prop. 4. Rosar. part. 3. tit. de ind. 18. Antidotar. an.

XXI. Docent multi Pontificiorum, potestatem Papae extendere se in Purgatorium, a. Aut igitur crudelis est papa, aut avarus, quod illas non statim liberat, sed tam diu miserrimè eas torqueri finit. An hac in parte fidelis Pastoris munere fungitur? Nec Christum *Esa. 55. v. 1. Apoc. 21. v. 11.* nec Petrum ita imitatur. *Act. 8. v. 20.*

a. Godsc. Holem. Dom. 2. post. Pascha serm. 2. Bonav. l. 4. sent. dist. 20. q. 5. Angel. de Clavis. in sum. anim. Fr. Midd. in elucid. Cathol. verit.

XXII. De duratione meriti docent plurimi, in Purgatorio non esse meritum. Ergo nec satisfactio erit. Idem enim Christus requiritur ad merendum & satisfaciendum; cujus satisfactio est meritoria. Unde & Concil. Trid. a. conjungit meritum & satisfactionem,

a. sess. 6. ca. 7.

XXIII. De duratione poenitentiae. Post hanc vitam animae non possunt committere peccata venialia, post hanc vitam non est poenitentia. Ergo nec remissio culpæ venialis, nec satisfactio pro peccatis locum habet post hanc vitam. Ejus enim est à culpâ resurgere, cujus est in culpam incidere. *a*

a. Bellarm. l. 1. de indul. c. 7. ex Thom. 4. sent. dist. 2. q. 1. art. 2.

XXIV. Ita si peccatum originis prorsus tollitur in baptismo: *a.* si homo renatus perfectè legem implet; *b.* si omnis actus caritatis absolute meretur vitam æternam; *c.* si ingressio religionis hominem reddit purum; *d.* si per opera superogationis *e.* & indulgentias Papæ obtinetur meritum vitæ æternæ; si Papa angelis præcipit, ut peregrinatorum suorum animas statim post obitum in coelum portent, *f.* quomodo stare potest Purgatorium?

a. Bellarm. l. 1. de bapt. c. 12. & 13. Concil. Trid. sess. 5.

b. Concil. Trid. sess. 6. can. 18. Bellarm. l. 2. de monach. c. 13. & l. 4. de justif. c. 10. l. 3. de Rom. Pont. c. 23.

c. Thom. 1. 2. q. 114. art. 7.

d. Bellarm. l. 2. de mon. c. 6.

e. Antonin. part. 4. tit. 12. c. 4. Bellarm. l. 4. de justif. c. 13. Tileman. Smeling. de 7. sac. p. 30. Petr. à Soto in assert. Cathol. de leg.

f. Bulla Clem. VI.

XXV. Resultat igitur inde hic syllogismus: Quod-
cunq̄ue dogma cum reliquis & propriis quamplurimis
Pontificiorum hypothesebus pugnat, illud pro certo &
immoto fidei articulo Pontificii credendum proponere
nec possunt nec debent. Dogma de Purgatorio cum re-
liquis & propriis quam plurimis hypothesebus Pontifi-
ciorum pugnat, Ergo. syllog.

Defectus
testimo-
riorum
sacrorum.

XXVI. Scripturam perfectè omnia fidei dogmata,
creditum ad salutem necessaria, continere, in loco de Scri-
pturâ S. abundè probarunt nostrates, a. multiq̄ue vi veri-
tatis compulsi ex ipsis adversariis concesserunt. b. Quid
verò sacra & divina oracula de Purgatorio? ne yēū quidem.
a. ex Ps. 19, v. 7. Act. 20, v. 27. & 26, v. 22. 2. Timoth. 3. vers. 16.
Deut. 4. v. 2.

b. Emanuel, Sa Lusit. de prim. num. 30. Acosta l. 3. de temp. no-
viß. c. 3. Didac. Bell. in c. 4. Luc. p. 122. Scotus in pref. in Lomb.
Anton. part. 1. sum. tit. 1. c. 3. S. Hervæus in prefat. Evang.
sup. Ep. Paul. fol. 1. Col. 1. Costerus in Ench. p. 48. Tannerus,
Gretf. addictum 2. Tim. 3.

XXVII. Negare hoc non possunt adversarii. Qui-
dam enim expressis verbis id largiuntur: a. Quidam à no-
bis postulant, ut in terminis terminantibus negativam ex
Scripturis probemus, b. cum tamen affirmanti incumbat
probatio, & Scriptura iis in locis taceat de Purgatorio,
ubi maximè decebat ejus mentionem fieri, si daretur, e.g.
in Genesi, libris Regum, Paralipomenon funera Patriar-
charum, Prophetarum, Regum describuntur; de Purga-
torio autem altum ibi silentium. Sæpè describit Scriptura
exequias: de supplicationibus pro defunctis factis, justo-
rum septendialium, trigesimalium, & suffragiorum alio-
rum, rursus altissimum silentium! In Levitico ex profes-
so agitur de sacrificiis, variisque eorum generibus; de sa-
crificio pro animabus defunctorum altissimum rursus si-
lentium. In Deuteronomio sat longus Catalogus pœna-
rum divinarum & temporalium texitur, altissimum & hîc
de pœnis Purgatorii silentium. Imò quando omnia loca
ponderantur, quæ Pontificii è sacris adducunt, aut à ge-
nuino sensu in alienum torquentur, c. aut ab aliis Pontifi-
ciis aliter atq̄; aliter explicantur, aut probabiliter saltem
suadere ab ipsis adversariis judicantur, aut ex Apocryphis
desumuntur.

a. Pet.

a. Petr. à Soto in assert. Cathol. pag. 83. & 85. Martin. Perez. l. de
tradit. Fischerus Roffens. cont. Luth. art.

b. Petrus à Soto d. l. Jesuitæ in Coll. Durt. Anno 1615. hab.

c. Petrus à Soto p. 84.

d. Bellarm. l. 1. de purg. c. 3. § ad 7.

e. Perion. in Topic. Theol. Gregor. Magn. l. 19. moral. c. 13.

XXVIII. Quodcunq̄ue igitur dogma est ἀγαθόν:
illud pro indubitato articulo fidei non est proclamandum. Dogma de Purgatorio est ἀγαθόν. Ergo.

Syllog. 6.

XXIX. Imò si penitiùs librum S. Scripturæ inspexerimus, facile aliquot argumentis evincemus, Purgatorium contra Scripturas esse. Nam illa homines in duas classes dividit, credentes & incredulos, bonos & malos, oves & hædos a. hominibus hæc in vitâ duntaxat tempus respiciendi & benè operandi concedit b. Purgationē peccatorum Christo, ut efficienti, c. sanguini ejus, ut causæ meritæ, verbo Evangelii & Sacramentis, ut causæ instrumentali, ex parte Dei offerentis: e. & fidei, ut causæ instrumentali, ex parte hominis accipientis f. tribuit, & nullibi mentionem facit alicujus tertix Purgationis post hanc vitam residuæ: fideles ad lætam ἐυφρανσίαν in pace, quiete & fiducia mori asserit; g. eorum animas sine ullâ interjectâ morâ & impedimento post mortem ad Paradisi gaudia transferri declarat; h. Duo tantum ψυχοδοχεία post mortem enumerat; i. mortuos non posse juvari suffragiis vivorum existimat, k. ex inferno nullam esse redemptionem testatur, l. quibus machinis Purgatorium funditus evertitur, radicitus extirpatur.

Contrarie-
tas cum
dictis Scri-
ptura.

a. Matth. 7. v. 13. & 8. v. 11. & 13. v. 24. & 25. v. 32. Marc. 16. v. 16. Luc. 16. v. 8. Joh. 3. v. 6. & 5. v. 29. Act. 26. v. 28. Rom. 2. v. 6. & 6. v. 20. & 8. v. 5. Gal. 6. v. 8.

b. Eccl. 9. v. 4. & 11. v. 3. & 12. v. 5. Matth. 25. v. 10. Iohan. 9. v. 4.
1. Cor.

1. Cor. v. 29. 1. Cor. 9. v. 24. Ephes. 5. v. 16. Gal. 6. v. 8. 2. Tim. 4. v. 7. Hebr. 12. v. 1. Apoc. 2. v. 5. 2. Cor. 6. v. 2.
 c. Esa. 43. v. 25. Job. 13. v. 8. Hebr. 1. v. 3. Matth. 9. v. 6.
 d. Hebr. 9. v. 13. 1. Job. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 6. & 7. v. 14
 e. Mal. 3. v. 3. Johan. 15. v. 3. Tit. 3. v. 5. Matth. 16. v. 19. & 18. v. 18. Ps. 95. v. 8.
 f. Act. 15. v. 9. 1. Cor. 6. v. 11.
 g. Job. 19. v. 25. Psal. 27. v. 13. & 30. v. 6. & 116. v. 7. Luc. 2. v. 29. Act. 7. v. 59. 2. Cor. 5. v. 1. Philip. 1. v. 23. 1. Thess. 4. v. 13. 2. Tim. 1. v. 12. 1. Petr. 4. v. 19. Apoc. 2. v. 10. Luc. 23. v. 43.
 h. Gen. 5. v. 24. Sir. 44. v. 16. & 49. v. 16. Hebr. 11. v. 5. 2. Reg. 2. v. 11. Luc. 16. v. 22. Act. 7. v. 59. Sap. 3. v. 1. Eccl. 12. v. 7. Job. 3. v. 18. Apoc. 14. v. 13.
 i. Psal. 49. vers. 8. Eccles. 9. v. 4. Matth. 5. vers. 26. & 25. v. 8. Marc. 3. v. 31.
 l. Matth. 25. v. 10. Luc. 16. v. 26.

Sylog. 7.

XXX. Inde igitur tale nectimus argumentum: Quodcunque dogma multis modis pugnat cum scripturæ sacræ dictis, illud pro articulo fidei haberi nequit. Dogma de Purgatorio multis modis pugnat cum scripturæ sacræ dictis. Ergo,

Collatio
cum ana-
logia fidei.

XXXI. Descendemus brevissimis quoque ad analogiam fidei, ubi deprehendimus similiter in plurimos fidei articulos purgatorium impingere. Impingit enim in Dei misericordiam. Deus perfectè remittit verè poenitentibus & in Christum credentibus peccata: a. pro quo autem adhuc vel satisfactio exigitur vel poena infligitur, illud nondum plenè & perfectè est remissum. b.

a. Matth. 18. v. 27. Mich. 7. v. 19. Luc. 15. Psal. 103. v. 8. Psal. 55. vers. 23.

b. gloss. c. scelerat. dist. 3. de poenit. Chrysof. hom. in Ps. 50.

XXXII. Impingit in meritum Christi. Nam Christus pro culpâ & poenâ satisfecit. *a.* Pro quo autem Christus satisfacit, pro eo non nobis in Purgatorio satisfaciendum erit.

a. *Esa.* 53. v. 4. *Galat.* 3. v. 15. *Can. fil. Dei dist.* 4. *Bellarmin.* l. 2. c. 10. *de indulg.*

XXXIII. Impingit in definitionem & essentiam Evangelii. Si enim Evangelium nostram satisfactionem vel satisfactionem potius exigeret, non amplius foret annunciatio gratiæ *a.* sed potius supplicii & poenæ in Purgatorio sustinendæ.

a. *contra Ioh.* 3. v. 16. *Matth.* 11. v. 5. *Rom.* 4. v. 15. *Esa.* 61. v. 1. *Ezech.* 33. v. 11. *Act.* 10. v. 43. *Rom.* 1. v. 16.

XXXIV. Impingit in fructum poenitentiae, qui est salus non poenitenda, *a.* peccatorum remissio, non-imputatio, *ὡς ἡνὶ σωματῶν* &c. *b.* Ergo non amplius necessaria erit satisfactio pro poenis vel in hac vitâ vel in Purgatorio sustinenda.

a. *2. Cor.* 7. v. 10.

b. *Act.* 11. v. 18. *Jerem.* 36. v. 2. *Act.* 3. v. 19. *Psal.* 32. *vers.* 1. *Luc.* 24. v. 47. *Sap.* 12. v. 19. *Marc.* 1. v. 4. *Act.* 5. v. 31. *Pf.* 25. v. 7. *Ezech.* 18. v. 22. *Pf.* 130. v. 12.

XXXV. Impingit in statum justificatorum, qui pacem & vitam æternam habere proclamantur. *a.* Ergo Purgatorii, cruciatus per aliquot annorum centurias non perferent.

a. *Rom.* 5. v. 1. *Gal.* 8. v. 1. *Ioh.* 3. v. 36. *Luc.* 1. v. 47. *Gal.* 2. v. 29. *1. Cor.* 1. v. 30. *2. Cor.* 5. v. 8. *Hebr.* 8. v. 16.

XXXVI. Impingit in doctrinam de extremo iudicio. Concedunt adversarii in extremo iudicio non futurum ignem Purgatorium. *a.* Ergo neque hoc tempore,

C

pore,

porē. Causæ enim justificationis & salutis sunt ejusdem & æqualis virtutis ante judicium & in ipso judicio.

a. *Bellarmin. l. 1. de purg. c. 12. resp. ad 5. obi.*

Syllog. 8.

XXXVII. His præmissis ita argumentamur: Quodcunque dogma cum analogiâ fidei pugnat, illud improbandum. Dogma de Purgatorio cum analogiâ fidei pugnat. Ergo.

Ecclesia
primitiva
& Patrum
dissensus.

XXXVIII. Quemadmodum verò Scriptura Purgatorium ignorat: ita & frustra ad Patres & primitivam Ecclesiam Pontificii provocant. Ea enim Ecclesia, quæ Apostolis vicina fuit, Purgatorium ignoravit; a. in Symbolis Ecclesiæ Purgatorii non fit mentio: Græcorum Ecclesia Purgatorium non credidit: b. Muscoviticæ quoque illud non agnoverunt: c. neque Patres iis in locis, ubi maximè videbatur necessarium, Purgatorii mentionem faciunt. d.

a. *Roff. in Confut. Luth. art. 18.*

b. *Alphonsus à Castro de hæres. tit. de purg. Sixt. Senens. in bibl. l. 6. annot. 259. pag. 538. Nilus Archiep. Thessal. tract. de purg.*

c. *de variis rer. Muscov. ant. p. 30. 127. 174.*

d. *Dionys. l. de Eccl. hierarch. part. 3. c. 7. Erasmi de Irenæo test. Indice Expurgat. Belg. p. 172. & Hispan. fol. 136.*

Syllog. 9.

XXXIX. Imò quicumque docent, in hâc vitâ tantum esse pœnitentiæ locum: ita unumquemque à Christo judicari, ut in morte invenitur: nullam aliam esse pro peccatis satisfactionem, quàm Christi: pœnam in Purgatorio justificatis non esse sustinendam: animas piorum statim à morte ad coelos avolare: duo tantum animarum separatarum esse receptacula: illi eo ipso

Pur.

Purgatorium improbant & confutant. Atqui Patres
ita docent, quorum testimonia adduci quidem possent,
quia tamen pagellarum angustia id non fert, atque B.
Chemnit. part. 3. exam. Concil. Trid. Dn. D. Gerhard.
tom. 8. L. C. & D. Heilbrunnerus in Papatu A catholico
ista collegerunt, (quorum opera grato animo nos hac in
re usos esse ultrò fatemur, benignum enim & ingenui
pudoris est, iudice Plinio, a. fateri, per quos profeceris,)
actum agere nolumus: imprimis cum ipsi Patres scriptis
suis Canonicam auctoritatem modestè derogent, eamq;
Scripturis tribuant, b. multiq; à Pontificiis Patrum auto-
ritatem semper authenticam esse negent. c.

a. Plinius secundus in prefat. nat. hist.

b. August. l. 11. cont. Faust. c. 5. & l. 2. cont. Crescon. c. 32. & l. 2.
cont. Donat. c. 3. epist. 19. ad Hieron. epist. 48. ad Vincent.
epist. 112. ad Paulin. Hieron. in Psal. 86. sup. c. 2. Micha. sup. 19
Esa. sup. 36. Ezech. Basil. de S. script. c. 7. Origen. in c. 2. Rom.
Videantur c. noli c. neq; c. ego solis c. negare, dist. 9.

c. Baron. tom. 1. an. 34. §. 213. Bellarm. l. 2. de concil. c. 12. Perer.
in. Gen. l. 3. c. 2. q. 5. Canus l. 7. loc. Theol. c. 3. Cajet. in pra-
fat. sup. l. Mos. Stapleton. in relect. princ. fid. cont. 6. q. 4.

XL. Atque hæc pro confirmatione nostræ senten- Conclusio.
tiæ adducta sufficiant, ubi multa ex ipsorum adversa-
riorum libris citata vides, venit enim nobis in mentem
illud Irenæi: a. Probatio vera & minimè contradictio-
ni obnoxia est, quæ ex adversariorum scriptis elicatur.
Et aliud, quod legitur apud Tertullianum: b. Firmum est
genus probationis, quod etiam ab adversariis sumitur,
ut veritas ab inimicis quoque probetur.

a. l. 4. adv. Her. c. 14.

b. de Trinit. c. 18. licet Tertullianæi potius sit, quam Tertulliani.

41. Ignis

Repetitio
syll. gene-
ralis.

XLI. Ignis Purgatorii porrò aqua solutionum & responsum extinguendus quidem esset, & confirmata thesi ad fundamenta antithescos examinanda descendendum: Ne autem exerescat nostra disputatio, placidæ Opponentium discussioni residuum hoc reservamus, Coronidis loco generalem nostrum syllogismum repetentes: Quodcunq̄ue dogma, ratione nominis *σιδηρό-ξυλον* 2. ratione originis Ethnicismū, Judaismum & Turcismum redolet. 3. ratione fundamenti falsis nititur hypothesebus, 4. inextricabili perpetuarum contradictionum & discrepantiarum labyrintho involutum est, 5. cum propriis hypothesebus Pontificiorum pugnat. 6. planè est *ἀγραφον* 7. imò & *ἀντιγραφον*, 8. analogiæ fidei contrarium, 9. primitivæ Ecclesiæ & purioribus patribus ignotum; Illud pro articulo fidei habendum non est. Dogma de Purgatorio tale est. Ergo.

FINIS.



05 A 2241

ULB Halle

3


003 784 037



1017







IN NOMINE JESU.
DISPUTATIO
De
PURGATORIO

cujus theses

SUB PRAESIDIO

Viri Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi,


DN. PAULI ROBERI, In inelytâ
Wittebergâ SS. Theol. Doctoris, Profefs. & Superin-
tendentis Generalis, Consistoriiq; Ecclesiastici Assessoris
dignissimi, &c. Praeceptoris & Promotoris sui hono-
randissimi,

placida ventilationi subijcit ad d. Jun. 1633.

M. JOHANNES GEORGIUS Seldt /
Linthoviensis Pastor.

Syllogismus generalis summam thesium proponens:

Quodcunq; dogma 1. ratione nominis est σιδηρόξυλον, 2. ratione ori-
ginis Ethnicismum, Judaismum & Turcismum redolet, 3. ratione
fundamenti falsis nititur hypothefibus, 4. inexplicabili perpetuarum
contradictionum & discrepantiarum labyrintho involutum est,
5. cum propriis hypothefibus Pontificiorum pugnat, 6. planè est
ἀγενεσθον, 7. imò & *ἀντιγενεσθον*, 8. analogiæ fidei contrarium,
9. primitivæ Ecclesiæ & Patribus purioribus ignotum: illud pro ar-
ticulo fidei habendum non est. Dogma de Purgatorio tale est. Ergò,



WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typogr. JOHANNIS HAKEN, Anno 1633.